Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Prouidebam dominū meū conspectu meo semp quoniā a dextris ē mihi ne cōmouear Propter hoc lētatum est cor meum & exultauit lingua mea insup & caro mea requiescet in spe Quoniam nō derelinques animam meam in inferno nec dabis sanctum tuū uidere corruptionem Notas mihi fecisti uias uite adimplebis me lētitia cum uultu tuo delectationes in dextera tua usq in finem

Exaudi dñe iustitiam meam intende deprecationem meam Auribus percipe orationem meam non in labiis dolosis De conspectu tuo iudicium meū prodeat oculi tui uideant equitatem Probasti cor meum et uisitasti nocte igne me examinasti et nō est inuenta in me iniquitas Vt nō loquatur os meū opera operum hominum p uerba labiorū tuorum ego custodiui uias duras Perfice gressus meos in semitis tuis ut nō moueantur uestigia mea Ego clamaui quoniam exaudisti me deus inclina aurem tuam mihi et exaudi uerba mea Mirifica misericordias tuas qui saluos facis sperantes in te A resistentibus dextere tue custodi me ut pupillam oculi Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt Inimici mei animam meā circumdederunt adipem suū concluserunt os eorum locutum est superbia Proicientes me nūc circūdederunt me oculos suos statuerunt declinare in terram Susceperunt me sicut leo paratus ad predam & sicut catulus leonis habitans in abditis Exurge domine preueni eum & supplanta eum eripe animam meam ab impio framea tua de inimicis manus tue Domine a paucis de terra diuide eos in uita eorum de absconditis tuis adimpletus est uenter eorum Saturati sunt filiis & dimiserunt reliquias suas parulis suis Ego autē in iustitia apparebo conspectui tuo satiabor cum apparuerit gloria tua

Diligam te dñe fortitudo mea dominus firmamentum meum & refugium meum et liberator meus Deus meus adiutor meus & sperabo in eum Protector meus & cornu salutis mee & susceptor meus Laudans inuocabo dominum & ab inimicis meis saluus ero Circumdederunt me dolores mortis & torrentes iniquitatis conturbauerunt me Dolores inferni circumdederunt me preoccupauerunt me laquei mortis In tribulatione mea inuocabo dominum & ad deum meum clamabo Et exaudiuit de templo sancto suo uocem meam & clamor meus in conspectu eius introibit in aures eius Commota est & contremuit terra fundamenta montium conturbata sunt et commota sunt quoniam iratus est eis